



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Sylva Cogitationum Sacrarum Pro Cathedra Seu Conceptus Prædicabiles**

Ex Præstantissimis Authoribus collecti ; Et In tres Classes divisi

Complectens Dies Festos Per Annum

**Höger, Franz**

**Ingolstadij, 1726**

**VD18 90197097**

Festum SS. Angelor. Custod.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53072)

da adigit, quàm Impuritas. II. Nullum vitium est, quod ira pœnitentes timore relapsûs anxios facit, quàm istud. III. Nullum vitium est, quod ira Fidelitatem Justorum exercet, ac probat, quàm istud. *Id.*

THESIS XIV. *Qui vexabantur &c.*  
Luc. 6. v. 18. I. Timendum est, ne minùs quàm satis est, hoc vitium timeatur. II. Erubescendum est, quòd non satis de hoc vicio erubescamus. III. Pœnitendum est, quòd non satis hoc vitium derestemur. *Id. ibid.*



## FESTUM SS. ANGELOR. CUSTOD.

THESIS I. *Angeli eorum.* Matth. *Beneficia Angelor.*  
18. v. 10. I. Angeli nostri Custodes sunt nostri *in itinere Socij*, quia semper nobis præsentes existunt, atque hinc eorum præsentiâ observare  
&

& honorare debemus. II. Sunt *Ministri nostræ Salutis*, & semper pro nobis laborant, atque sic eorum actiones imitari debemus. III. Sunt *Defensores bonorum* ac commodorum nostrorum, & quotidie pro nobis pugnant, atque ex eo illis cooperari debemus rem nostram agenda. *Durand. in Character. Sanctior.*

*Verus Amicus.*

THESIS II. *Angeli eorum.* Matth. 18. v. 10. Amicitia S. Angeli Custodis est I. Amicitia, commodi sui non studiosa. II. Amicitia, quæ non est impatientiæ subiecta. III. Amicitia, quæ non blanditur.

*Beneficia.*

THESIS III. *Angeli eorum.* Matth. 18. v. 10. I. Non habemus *Superiores*, qui tam validè nos possunt protegere, quàm Angelos. II. Non habemus *Amicos*, qui nos ita valent consolari, quàm Angelos. III. Non habemus *Directores*, qui meliùs possunt nos instruere, quàm Angelos. IV. Non habemus meliores in via *Duces*, quàm Angelos, qui nos securiùs ad metam perducant.

*officia.*

THESIS IV. *Semper vident faciem*

PA.

Patris. Matth. 18. v. 10. I. JESUS  
Christus non habet fideiiores Servos,  
quàm Angelos, qui sunt administrato-  
rij Spiritus. II. Homo non habet Di-  
rectorem perfectiorem, quàm Ange-  
lum. III. Dæmon non habet Inimicum  
potentiorem, & magis invincibilem,  
quàm Angelum.

THESIS V. *Angeli eorum.* Matth. *Hostes peccati.*  
18. v. 10. I. Angeli *Hostes* sunt omnis  
generis peccatorum, hinc quovis absti-  
nendum. II. Angeli sunt *defensores*  
omnigenarum Virtutum, hinc illis ma-  
ximè studendum pro conservanda illo-  
rum amicitia.

THESIS VI. *In manibus porta-* *Beneficia.*  
*bunt te &c.* Ps. 90. v. 12. Acceptum  
Beneficium æternæ memoriæ infigen-  
dum est. . . Sapiens omnia examinabit  
secum, *quantum* acceperit, à quo, quando,  
ubi, quomodo. Itaque negamus quem-  
quam scire gratiam referre, nisi Sapien-  
tem. *Verba sunt Senecæ ad Lucil.*

THESIS VII. *Angeli eorum.* Matth. *Officia.*  
18. v. 10. Est I. Angelus Confor-  
tans. Luc. 22. II. Angelus Coar-  
ctans. Ps. 34. III. Angelus Perse-  
quens.

quens. Ps. 34. Omnia in bonum, & salutem hominis.

*Cur existant?*

THESIS VIII. *Semper vident faciem Patris.* Matth. 18. v. 10. Angeli existunt I. in *Archetypi Ornamentum*, quia Dei laudes decantant; Dei Nomen portant, Dei Majestatem representant. II. In *Universi Complementum*, ob perfectam Naturæ dignitatem; ob innumerabilem multitudinem; ob admirabilem dispositionem. III. In *Microcosmi Bonum*, quia trinum gubernant corpus: Æthereum seu Naturale; Politicum, seu Civile; Mysticum, seu Supernaturale. *Vivien. Terzull. verb. Angeli.*

*Angeli esse debent.*

THESIS IX. *Erunt sicut Angeli.* Matth. 22. v. 30. Ita est, Angelicaliquando esse debemus. I. Vel in numerum *Bonorum* Angelorum admittendi ad reparandam ruinam eorum, qui lapsi sunt. II. Vel in numerum *Malorum* Angelorum redigendi ad communem pœnam ignis, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus.

*Omni amore nos diligunt.*

THESIS X. *Angeli eorum.* Matth. 18. v. 10. Angeli I. Amore *Benevolentia*

lentiæ homines propter homines diligunt. II. Amore Concupiscentiæ propter Angelos homines diligunt. III. Amore Charitatis propter Deum homines diligunt. *In supernis illis Spiritibus non solum admirabilis dignitas, sed dignatio amabilis; diligunt enim nos propter Deum, propter seipsos, & propter nos.* Ista S. Bern. serm. 1. de S. Michael. *Vivien in Tertull. verb. Angeli.*

THESIS XI. *Angelis suis manda-* Beneficia.  
*vit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis.* I. Angeli Israëliticum populum ex Ægypto ducentis ea maxima cura fuit, ne aut adureretur à sole, aut careret luce. *Vieira part. 1. fol. 81.* Duplex ergo in Veteri Testamento præstitit beneficium. II. At triplex in Novo Testamento: Angeli enim sunt Doctores nostri, qui nos erudiunt; Protectores nostri, qui nos defendunt; Advocati nostri, qui apud Deum pro nobis patrocinantur. *La Selve tom. 4. de Sanctis, Corporalia, & Spiritualia Beneficia S. Angeli Custod. lege sis in libro Schus: Engel-Hülff ex titulis capitum facile colligenda.*

*Negligen-  
tia in ejus  
cultu.*

THESIS XII. *Angelis suis manda-  
vit de te. Pl. 90. v. 12.* Neglectus  
inter Sanctos videtur esse S. Angelus  
Custos. I. Neglectus (id est oblivio-  
ni datus) ratione suæ Præsentia, II.  
Neglectus in nostro Cultu. III. Ne-  
glectus quoad Fiduciam erga eum. *Alex-  
and. Diotallevi de Beneficijs Divin. Con-  
sid 16. num. 5.*

*Beneficia.*

THESIS XIII. *Fecit cum Principi-  
pem Amicorum. I. Machab. 11. v. 27.*  
S. Angelus Custos est noster I. *Verus  
Benefactor*, qui gratis benefacit. II.  
*Verus Amicus*, qui non tantum sereno,  
sed etiam nubilo tempore nobis assistit.  
III. *Verus Protector*, qui nos contra a-  
pertos & occultos hostes defendit.

THESIS XIV. *Angeli eorum.*  
Math. 18. v. 10. Sancti Angeli Cu-  
stodes sunt I. *Socij nostri itineris*, quia  
semper nobiscum sunt; Veneremur eo-  
rum præsentiam. II. *Ministri* nostræ  
Salutis, pro qua laborant omn' modo  
sine cessatione; Imitemur eorum a-  
ctiones collaborando. III. *Defensores*  
contra nostros hostes pugnant; Pu-  
gnemus & nos sub eorum directione  
& protectione. *Durand. 2. Mart.*

FE: